

meure tousjours inevident : La science au contraire produit tout ensemble l'evidence de l'obiet, et la pleine certitude de la persuasion etc. Egregie haec illustrant, quae a Max. Reu. Dn. Archi-Praeposito et Profess. Prim. Lund. Goth. Doct. *Andrea Rydelio*, Praeceptore meo aeternum colendo, allata sunt, in exercitationum Rationalium Parte IV. c. 2. ubi Vir Celeberr. omnia perceptionum genera ad tres classes reuocat, easque considerat ut diuersa fora, uel instantias; quarum infima est sensus, superior ratio, suprema fides. Licet itaque ad postremam hanc classẽ referenda sit resurrectio, quia ex uerbo reuelato certe et plane cognoscitur in salutem hominis; non tamen inter mysteria stricte sic dicta locum obtinet, *quae incomprehensibilia sunt rationi ac insuperabilem quandam (lumine scilicet naturae) apparentiam contradictionis habent.* ANDR. RYD. Colleg. Priuatiff. Part. 3. Art. 7. §. 2. Possibilitas enim eius quodammodo sanae rationi est euidens. Quare cum fides neque sensui nec rationi obstet, quo minus suis scrutiniis et iudiciis eousque progrediantur, quo unquam peruenire possint, modo se contineant intra suum circulum; ab instituto meo non esse alienum existimo, paucis ostendere, quousque naturale intellectus nostri lumen in notitiam resurrectionis penetrare possit, praesertim quod hinc innotescat modus, quo ad negandam resurrectionem ratio, terminos suos transuolans, deuenit.

§. III.

Possibilis est resurrectio mortuorum.

Nihil est, inquit Cicero, quod Deus non efficere possit, et quidem sine labore ullo. Recte certe, dum id intelli-